

A CASE

OF

PREMATURE PUBERTY IN A FEMALE,

COMMUNICATED

IN A LETTER FROM

MARTIN WALL, M. D. F.R.S.

PROFESSOR OF CLINICAL MEDICINE IN THE UNIVERSITY OF OXFORD,

TO

MATTHEW BAILLIE, M. D. F.R.S.

Read March 12, 1811.

MATTHÆO BAILLIE, M.D. R.S.S. &c. &c. &c.

SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICÆ LONDINENSIS
NUPER PRESIDI DIGNISSIMO S.

CUM paucis abhinc annis, in Collectione, &c. &c. à te, præcellentissime Vir, et tuis consociis eruditè editâ, Historiam Pueri, vix e cunabulis exeuntis, facultatibus virilibus præmaturè præditi, vix perlexissem; consilium à me petitum fuit de puellâ, seu potius mulierculâ, quam pari lusu natura omnibus adultioris in suo sexu statûs signis, mirum in modum, etiam infantulam ditaverat.

Erat puella statura parva, habitu plethorico ad polysarciam vergente, facie infantili, et moribus

ætati suæ, nonum enim tantum ægebat annum, congruentibus. Abdomen erat præter naturæ modum tumidum; urina parca cum siti &c.

At causas & symptomatum progressus, quibus lapsa valetudo se prodiderat, me penitius inquiriturum sevocavit mater; sollicita, ut de quibusdam, quæ medicum maximè attentum præterire possent, me certiore faceret.

Ex matris enarratione rem satis memorabilem intellexi, scil. quòd filia sua etiam in tenerissimis annis, ad perfectum mulieris statum, in omnibus, exceptis staturâ & vultu, accessisset; quòd fluxus menstruus, primùm cum jam erat vix novem menses nata, et singulis mensibus usque ad præsens tempus, erupisset; quòd, circa mediam partem anni secundi ab istius natali, mammæ sororiari cœpissent, et crescentes indies, ad mediocrem magnitudinem, ut in virgine adultâ, pervenissent; cæteraque omnia contigissent, quæ, ut Culleniani dicunt, fæminæ formæ et systematis uterini *evolutionem absolutam* indicant: adeo ut puella, cum vix secundum vitæ suæ annum assecuta esset, mulierem decimum octavum agentem in omnibus æmulari videretur.

His probè cognitis, sententiam & consilium facilius de morbo dedi: symptomata enim naturam ejus et indolem clarissimè demonstraverunt. Medicamenta vix alia quam quæ hydropticis solent

exhiberi, præscripsi: ista autem sæpiùs mutare, cum morbus pertinacissimè perstiterit, necesse habui. Post longum tempus vero valetudo est restituta optima et diutina.

Pluribus ergo haud opus est verbis, vir eximie, quam quibus me tibi et societati vestræ, arctissima benevolentia conjunctum et profitear & præstem.

Dabam Oxonii vto. Iduum
Februarii 1811.

M. WALL, M.D. &c. &c.